Gorski Jacobi: Quaestio de alienatione rei emphyteuticae.

Polonica

Wladislaus IV.

Ossolinii Georgii Oratio habita coram Se

Venetiarum Principe a. 1634.

QVÆSTIO
DE
ALIENATIONE REI EMPHYTEVTICÆ.

QVAM

Præsidente Clariſsimo & Excellentiſs. D.

IOANNE CROSNERO, Philoſoph. & I. V. Doctore ac Profeſſore publico.

M. IACOBVS GORSKI I. V. Profeſſor, Collega DD. Iuriſconſultorum, pro Licentiatura in vtroq; Iure obtinenda publicè ad Diſputandum proponet.

Lectorio DD. Juriſperitorum, Anno. D 1629.
15 *Die Febr. Hora 7. ante Merid.*

Permiſſu Magnifici D. RECTORIS.

CRAC: *Typis Matthiæ Andreouienſis.*

IN STEMMA.



Qvod soleæ complexu hastile reuincitur, istinc
Nobilis æternùm gentis habetur honos
Præcellis multò Mauortia signa KRETKOVI
Iustitiæ & sanctæ symbola pacis habens.
Dum vitiorum vltor, templisq; arisque profanam
Impietatem arces, pectore magnanimo
Hoc solidum pectus, fortique adamante recoctum
Intrepidum aduersus crimina, ferre gradum.

M. Iacobus Vitellius

Perillustri & Admodum Rūdo Domino,

DOMINO ERASMO KRETKOWSKI,

CANTORI VŁADISLAVIENSI,

Canonico Cracouiensi, Vicario in Spiritualibus, & Officiali generali in Ciuitate ac Diœcesi vniuersa Crac. &c. &c.

Domino & Fautori obseruandissimo.

PRÆCEPTIS institutisque Iuris, Perillustris & Admodum Reuerende Domine, hominum voluntatem, quæ facile à medio virtutis deflectit, moderari: formam & regulam honestè viuendi, ius suum cuiq; tribuendi, neminem lædendi, conseruari plusquā manifestum. Quid integrum à corrupto sincerum à turbido, apertum à versuto differat. Iustitiæ administra Iurisprudentia, imperans honesta, vetans contraria, puniens commissa crimina, monstrat: à Tiranide Regnum, à conuenticulis Ciuitas, Collegia à factionibus quantum dissideant ob oculos ponit. Ordinem quem animam rerum dicunt ita conseruat, vt ad optatum felicitatis finem pro conditione cuiusque secure ac pacifice ducat: Hinc Iulianus Imperator laudi sibi ducebat, quod patrem Saluium Iulianum Iureconsultum haberet. Iustinianus Princeps laudatissimus, Iureconsultos, antecessores suos amicosque nominare non erubuit. Romani ipsi domum Iureconsulti asyllum Iustitiæ, Oraculum æquitatis, opi-

nabantur, & verè; Nullum enim angulum Reipublicæ sine legibus, experientia rerum magistra edocti, quiete consistere posse certo certius asseuerabant: iisque qui leges decemviralium interpretabantur, maiestatem & autoritatem publicam Pomponio teste concedebant. Cæsar Augustus ne quispiam, nisi Principis decreto de iure respondeat, ordinauit, vt & maiori splendore sacra legum refulgeat sapientia, & eminentiori eam profitentes splendeant dignitate, effecit. Quemadmodum enim multum refert. Imperatoriam maiestatem Legibus armari; ita non minùs, Iuris Legumque facultatem, autoritate Principum virorum, decorari. Qualem inter præcipuos cum Te Perillustris & Admodum R. nde Domine generis nobilitate, Prosapiæ eminentia & antiquitate, minimè inferiorem, morum integritate conspicuum, cunctis affabilem, nemini molestum omnes intueantur. Quæstionem hanc de Alienatione Rei Emphyteuticæ è medio scientiæ quàm diuinarum humanarumque rerum cognitionem. Iustinianus vocat desumptam publicè disputandã, sub Tuo nomine proposui vt Quẽ res fori Ecclesiastici æquum, negotia Reipublicę promptum, amici expeditum, omnes affabilem approbant, Eum hæc vnà mecum patronũ, fautorem habere possit: quod vt pro animi Heroici magnitudine præstare non dedignetur, maiorem in modum oro. Deumque veneror vt Perillustrem & Admodum Rñdm. Dominationem Vestram, Ecclesiæ, Reipublicæ, maioribus auctam honoribus, incolumem quàm diutissimè seruet. Cracouiæ è Collegio DD. Iurisconsultorum. Februarii 9. Anno Domini M. DC. XXIX.

Perillustri & Admodum R. ndæ Dñationi Vestræ.

obsequentissimus

M. IACOBVS Gorski, I. V. Professor.

QVÆSTIO.

DE

ALIENATIONE REI EMPHYTEVTICÆ.

Ex Cap. Potuit. *Ext.* de Locat: & Conduct: *Iuncta L. 3. Cod.*

DE

IVRE EMPHYTEVTICO.

VEmphyteuta tàm Ecclesię, quàm cuiusquam alterius, ius sibi competẽs, præcipue meliorationes, in re Emphyteutica sine consensu directi Domini alienans, de iure suo cadere, & absq; interuẽtu Iudicis, Domini autoritate expelli valeat: nec ne?

CONCLVSIO I.

Emphyteuta tàm Ecclesiæ quâm cuiusquam alterius, ius sibi competens, præcipue meliorationes in re Emphyteutica consensu directi Dominii interueniẽte alienare potest.

COROLLARIA.

1. *Consensus Domini, præstitus ad alienandam rem Emphyteuticam, non extendit se ad personas, in quas alienatio Emphyteuseos de iure est prohibita.*

2. *Denunciatione Domino facta veri precij quod ab emptore rei Emphyteuticæ offertur: si à Domino per duos Menses idem solutum non fuerit, sine alia declaratione ad vendendum procedere poterit.*

3. *Conceditur Domino etiam post duos Menses moram purgare, & emptorem ab Emphyteusi numerato conuento precio excludere; quamuis sit tempus præscriptum duorum Mensium, quo Dominus iure suo gaudeat.*

4. *Licet nomen alienationis in genere se extendat, ad donationem, legatum etc. Emphyteuta tamen sine consensu Domini rem Emphyteuticam, donare, vel legare non prohibetur.*

5. *Dominus alienare volens proprietatem rei Emphyteuticæ, consensu Emphyteutæ non indiget.*

Conclusio

Conclusio II.

Rem Emphyteuticam alienans Emphyteuta irrequisito Domino cadit Emphyteusi.

COROLLARIA.

1. *Dum interuenit venditio inualida, aut sub conditione; antequam validetur venditio vel conditio subsequatur, Emphyteuta iure suo non cadit.*

2. *Licet Emphyteuta omnia in alienatione obseruari solita præstiterit, si non sequatur traditio, minimè iure suo priuari debet.*

3. *Partem rei Emphyteuticæ alienans, parte tantùm cadit non totâ Emphyteusi.*

4. *Alienans cùm pacto redimendi rem Emphyteuticam, Emphyteusim non amittit, præcipuè si in redimendo moram non faciat: minùs amittit si promiserit alienare.*

5. *Cum Emphyteusis conceditur alicui stipulanti pro se & ijs quibus iura sua concedere voluerit; vigore talis pacti poterit Emphyteuta alienare; sufficit enim à principio Dominum consensisse.*

Conclusio III.

Etsi sustineri possit, quod Dominus directus

rectus sine consensu suo rem Emphyteuticam alienantem, authoritate propria, expellere valeat: consultius tamen est, vt id fiat Iudice interueniente.

COROLLARIA.

1. *Si Prælatus alienationem rei Emphyteuticæ approbat, Capitulo contradicente, non consentiente, vel ignorante: An cadat Emphyteuta Emphyteusi, vel expelli debeat problema facio.*

2. *Interueniente aliquo contractu ex Emphiteuta dum efficitur Dominus, ad alienandum nullius Consensum requirit.*

3. *Secundo Emphyteutæ si habeat consensum à primo non sufficit: quominus expelli non possit, nisi consensus directi Domini intercedat.*

4. *Solutio Canonis per biennium Ecclesiæ, cuipiam autem alteri per triennium, retenta; sufficit ad priuandum Emphyteutam iure suo.*

5. *Formam rei Emphyteuticæ immutans aut arbores excidens Emphyteuta, expulsionem pati debebit.*